

SERMO DE ASCENSIONE CHRISTI.



Elebrata in cruce solenni uictoria, cum iam templum corporis sui, quod persecutio Iudæorum effoderat, dominus reparasset, noluit statim ad patrem ascendere, & glorificati corporis præsentia in ferre cœlestibus, sed necessaria dispensatione discipulorum infirmitati consulens utiliter distulit, & quadraginta diebus in terra conuersatus, & uisus est saecularis dilatio.

pe & locutus cum apostolis, & manducauit & bibit, & uulnera quæ ad du-
bietatem eorum tollendam, in corpore referuarat, & uidenda & palpanda
exposuit, & impleta in se quæ in scripturis erant, prædicta euidentia rerum
edocuit. Ad hoc necessaria fuit huius temporis mora, ut recollectis quos in
fugam timor impegerat, quos supplicium crucis terruerat, in multis argumen-
tis apparet, mentes quæ diffidentia titubauerant, solidaret, nec esse phanta-
sticum, sed uerum corpus quod surrexerat, tam comensationibus q̄z contre-
stationibus probaret. Ad hoc dilata est ascensionis gloria, ut sub hoc dierū
intersticio præcedēs doctrina affectibus firmaretur, immo ut discipulorum
desideria recessionem eius corporalē ambirent, quia spiritualis præsentiae ple-
nitudo quamdiu conspectu carnis præsens aderat, aduentare non poterat,
& paulatim in hoc conducti sunt, ut libenter consuetudine conuictus assue-
ti carerent, cum inhabitator spiritus sanctus eorum animas possidens, inui-
sibili accessu synceriores eis affectus infunderet, & aperiret interiores oculos
ad intuendum intellectu puro patrem lumen, & substantia rerum spera-
darum proposita apparentia sepelirent, nec incertitudinis scrupulus super-
esset, cum dominus & magister, quem uerum hominem probauerat, eis ui-
dentibus, cœlum ascenderet, sed iam securi se crederent secuturos, nec esse im-
possibile quin & ipsi in carne & spiritu ad superos transferrentur. Omnibus
itaq; ad tam delectabile spectaculum aggregatis: Ascendo, inquit, ad pa- Ioan.16.
trem meum & patrem uestrum, deum meum & deum uestrum. Horū uer-
borum autoritas cum iam eorum virtutem spiritus sanctus intimasset,
omnem poterat excludere diffidentiam, & hilarescebat animi eorum pa-
ternitatis diuinæ illustrati honore, & fraternitatis CHRISTI honorati con-
sortio, cum audirent & crederent se filios dei & fratres CHRISTI, in quo
omnis excellentiæ plenitudo & sufficientia inerat, nec iam quasi idiotæ &
hebetes huic uerbo applaudebant carnaliter, sed subtilissime generationem
& dignitatem creaturæ à uoluntate & nutu creatoris habuisse initium, &
imaginem & similitudinem dei in interiori homine uidebant, & dinosce-
bant intellectu potius quam uisu, quam affinitatem habeant inter se pater
& filius, & quia substanciali & naturali filio filij adoptiui conformes à pri-
ma origine multa habeant ex natura, & multa ex gratia: sanè huius genero/
sitatis consortium secundum quam simul cum CHRISTO filij dei sumus,

T ; nobilitatem